

Q. F. F. Q. S.

DISSE^TAT^O GRADUALIS

DE
**CONNUBIO
RATIONIS
ET
EXPERIENTIAE,**

QUAM,

Approbante Ampliss. Facult. Philos.

In Reg. Acad. Aboënsi,

PRÆSIDE

Max. Reverendo atque Ampliss. VIRO

**MAG. CAROLO
MESTERTON,**

LOG. & METAPH. PROF. REG. & ORD.

Publico examini sifit

STIPENDIARIUS REGIUS

MART. JOH. WALLENIUS J. F.

AUSTRO - FINL.

*In Auditorio Maj. V. D. die XVII. Aprilis MDCCLI.
H. A. M. S.*

ABOÆ, Imprim. Direct. Reg. Acad. Aboëns. Officin.

JACOB MERCKELL.

S:æ R:æ M:tis
MAXIMÆ FIDEI VIRO,
REVERENDISSIMO PRÆSULI AC DOMINO,

DN. JOHANNI BROWALLIO,

S. S. THEOLOGIÆ DOCTORI,
DIOCESEOS ABOËNSIS EPISCOPO

ET
REGIÆ ACADEMIÆ AURAICÆ PRO-CANCELLARIO
Nec Non

REGIÆ ACADEMIÆ SCIENTIARUM HOLMIENSIS MEMBRO,
INCOMPARABILI ECCLESIAE AC
PINDI ANTISTITI,
MUSARUM PATRONO MAXIME INCLYTO,
MÆCENATI SUMMO.

IN PIAM DEVOTIONIS PERENNIS MEMORIAM

SACRUM ESSE VOLUIT

M. J. W.

Generoso atque Nobilissimo Domino,
Dn. JOHANNI LOSTIERNA,

Supremi Judicij Regii in Magno Ducatu Finlandiae
ADSESSORI Gravissimo.

VIRO Maxime Reverendo atque Celeberrimo,
Dn. CAROLO FRIDERICO
MENNANDER,

Scientiae Naturalis PROFESSORI Regio & Ordinario,
Simulque Regiae Svec. Scient. Acad. MEMBRO inprimis
Inclyto.

Amplissimo ac Consuliſſimo Domino,
Dn. ERICO JOHANNI TOLPO,

Confuli Juris dicundi in Urbe Aboa æquissimo.

MÆCENATIBUS & AVUNCULO Propensissimis ac
semper ſupiciendis, colendis.

IN monumentum debitæ venerationis & obſervantiae,
nec non ob preſtitæ abunde beneficia & in ſpem
ulterioris benevolentiae ac favoris, pagellas hasce cum vo-
to omnigenæ felicitatis ardentissimo D. D. D.

NOBILISS. & MAX. REVER. NOMINUM
VESTRORUM

Humillimus & obſervantissimus
cultur

MART. JOH. WALLENIUS.

Regements och Stads Fältstiären,
Adel och Högachtd
Herr PAUL MÜLLER.

Särvarande få blad behagade Herr Regements Fältstiären med lika benägenhet uppaga / som min välmening / i anseende til Des med mine käre Föräldrars hus länge plågade vänskap / och i synnerhet emot min käre Moder under hennes sjuflighet bewiste ömhet / vid deras tilägnande / är ren och osörfalstad / ej mindre än den Högachtning / hvarmed jag stådse förblifwer

Hr. Regements och Stads Fältstiären

Hörsammaste Lienare

MART. JOH. WALLENIES.

*** *** ***

GWENELAW AGÖ. TAN. *** ***





A. Ω.

§. I.



On frustra hominibus a **natura** inditum esse insigne sciendi desiderium atque veritatis amorem, vel ex eo liquet, quod aptis ac necessariis mediis in veritatem inquirendi, & ad cognitionem ejus perveniendi, eos instruxerit. Sunt autem ista media **Sensus** atque **Ratio**. Per illos homo non tantum eorum, quæ in mente sua contingunt, internam habet conscientiam, sed etiam res externas, quæ organa corporis sui afficiunt, cognoscit. Hinc experientia tam interna quam externa enascitur. Rationis autem ope mens nostra & notiones rerum, quæ sub sensus non cadunt, sibi format, & veritatum nexum perspicit, unamque ex altera dedit. Est utraque harum facultatum donum præstantissimum, & nobis apprime necessarium. **Concipe** hominem nobilissima hac facultate, puta ratione, destitutum; tum is ipse non modo nihil haberet quo bruta antecelleret, sed etiam conditio ejus longe deterior quam horum, imo miserrima foret. His enim loco rationis concessus est naturalis quidam instinctus, quo feruntur ad quærenda ea quæ

A.

sibi

sibi conducunt, fugienda vero quæ noxia sibi sunt. Homo etiam multis opus habet quibus bruta non egent, utpote quibus ipsa natura de necessariis vitæ subsidiis prospexit; ideoque multa homini propria industria per rationem sunt invenienda, sine quibus vel plane non vel ægre vitam transfigere potest. Si vero sensuum adminiculo carerent homines, ne quidem animalem, multo minus homine dignam aut socialem, agere possent vitam. Cum igitur sit tam amplius tamque indispensabilis harum facultatum usus, sintque illæ omnis nostræ cognitionis, præter illam quæ ex Revelatione hauritur, fontes ac principia; illi omnino haud parum in bonitatem summi Conditoris injurii sunt censendi, qui hæc Ipsius dona parvi faciunt aut contemnunt, imo non erubescunt eadem ut noxia, fallacia errorumque matres criminari. Non minus inconsultum ac temerarium foret, si quis alterutrum horum, tanquam unicam veritatum normam, solum amplectens, alterum negligat aut exulare jubeat. Næ is ignoraret aut non perpenderet exigua cognitionis nostræ sphæram, quanta in veritate investiganda opus sit circumspetione ac industria, quam pronus sit & facilis in errorum labycinthos lapsus. Quin imo veritas, multis saepe tecta involucris, quot fieri potest modis est sollicitanda, & omnibus, quæ adhibere licet, mediis exploranda. Plus enim valent conjunctæ vires. Apparet itaque feliciori scientiarum progressu multum inservire amicum *rationis & experientiae connubium*, de quo dum in hisce pagellis nonnulla differere animus

nimus est, mitiorem b. l. censuram expetimus & expectamus. In antecessum vero monendum duximus, quod ad vocabulum Rationis attinet, nos in præsenti vocem istam in laxiori significatu adhibere. Illam nempe distinguimus tantum a nuda sensuali cognoscendi facultate, atque sic sub illa complectimur omnes intellectus vires & operationes, quæ hominibus propriæ neque cum brutis communes sunt; si-
ve quicquid ad superiorum cognoscendi facultatem communiter referri solet. Et quando de ejus cum experientia connubio loquimur, non tantum illam subjective spectatam, seu ipsam hanc facultatem, ejusque usum & exercitium intelligimus; sed etiam illas veritates, quæ ab eadem inventæ sunt, aut ulterius investigari possunt.

§. II.

Non moramur illos, qui rationem tanquam penitus cœcam aut seductricem, ejusque dictamina ut incerta, falsa, imo etiam Revelationi inimica accusant & damnant. Id solum notamus: quod genuina rationis principia & enunciata cum quibusvis ingenii humani placitis minime sint confundenda, verum ab his probe discernenda. Fuere etiam haud pauci, qui sensibus externis haud multum statuerunt pretii, eorumque usum circa veritatis investigationem nimium extenuarunt. Contendunt nempe sensus plerumque nos fallere, testimonium eorum dubium atque incertum esse, cui proinde judicia nostra tuto superstruere nequeamus, ideoque fidem illis non esse adhibendam. Imo suspicantur me-

ras illusiones esse quæcunque de rebus extra nos pos-
fitis nobis videmur experiri, & nuda phantasmatum,
quæ sensus externi nobis exhibent objecta. Ast tan-
tum abest ut tale vitium illis tribui possit, ut ex ad-
verso recte adhibito illorum usu, ab omni errandi
periculo immunes esse queamus, atque sæpiissime a-
lia via ad liquidam veritatem pertingere non liceat.
Quando sic rite sensibus nostris utimur, animadver-
timus ubique phœnomenorum in toto hoc universo
consensum pulcherrimum, & de veritate eorum, quæ
sensibus percipimus, testimonium evidentissimum per-
hibentem. Cur enim quæsō una experientia nun-
quam alteri contrariari deprehenditur? quare id,
quod semel observationibus est comprobatum, per
alias rursus non evertitur? cur tandem quæ a tot
diversis hominibus sensu percipiuntur, inter se non
prorsus discrepant? certe in somnio longe ali-
ter fieri observamus. Præterea annon ista sententia,
quasi sensus ad nos fallendum essent comparati, in
Deum ipsum est injuria? qui eos ex sua bonitate
nobis dedit, ut ex Ipsius intentione, vero cognos-
cendo, malis avertendis & commodis nostris pro-
movendis inserviant. Qui potuit igitur, vel per bo-
nitatem suam atque sanctitatem, velle ut decipiamur?
vel per sapientiam mediis uti, quæ finibus Ipsius fo-
rent contraria?

§. III.

Datur complexus ejusmodi veritatum, quæ a priori sive ex sola ratione innotescunt & demonstrari possunt, neque opus habent ut per experientiam cognoscatur.

cognoscantur. Dantur namque res, quarum conce-
ptus ita in nostra sunt potestate, ut omnia, quæ di-
stinctas & completas earum notiones absolvunt, no-
bis pateant. Tales notiones per abstractionem aut
arbitrariam determinationem ipsi formavimus, quæ
proinde exacte congruunt objectis suis, qualia nem-
pe ab intellectu concipientis formata sunt, non ha-
bito respectu ad actualem illorum extra eundem ex-
istentiam, & an illa aliis præterea sit vestita deter-
minationibus. Competunt hisce rebus certæ affe-
ctiones certaque prædicata, quæ per illas notiones
sufficienter determinantur. Sistuntur itaque heic ve-
ritates, quæ ex ipsis rerum notionibus, atque hinc
deductis axiomatibus, tanquam certis & adæquatis
principiis fluunt & intelliguntur, neque ab experi-
entia, seu sensuum testimonio, certitudinis suæ fun-
damenta mutuari necessum habent. Ejus indolis
sunt veritates, quas Ontologia & Matheſis pura no-
bis exhibent. Hoc ipso tamen non negamus, quin
abtractæ hæ scientiæ, quas excogitavit ratio huma-
na, occasione eorum, quæ sensu cognovimus, pri-
mum sint enatæ, atque sic quidem eo respectu ea-
rum quoque prima origo ab experientia sit repeten-
da. Scilicet ex rerum actualium & singularium con-
templatione ad abstracta cogitationes suas converte-
re & notiones abstractas formare cœperunt morta-
les. Et quod speciatim ad Matheſin attinet, illa qui-
dem considerat objecta sua ut a materia separata; ea
tamen, quatenus ad materiam pertinentia, aliquate-
nus sunt sensibilia. Hinc & ad res ipsas simpliciter
con-

conciendas, & proprietates earum inventiendas, & demonstrationes percipiendas, sensus atque imaginatio multum hic conferunt. Imo etiam non raro veritas eorum quæ a priori demonstrata sunt, examine instituto, a posteriori quoque confirmari potest.

§. IV.

OMnis autem nostra cognitio, quæ circa res existentes versatur, aut ab experientia immediate hauriri, aut saltem eidem ceu fundamento inniti debet. Quæ etenim res actu citra nostram operam existunt, eæ arbitrio nostro non subsunt, sic ut in illarum ideis quicquam pro lubitu determinare queamus, sed quemadmodum actu se habent, ita a nobis sunt concipiendæ. Igitur viam illam a priori non æque hic ingredi licet, ac in abstractis illis scientiis, de quibus §. præc. dictum, sed experientia imprimitur est consulenda. Per hanc alia immediate nobis patefiunt, alia vero, quæ statim sensibus non patent, ex iis rite colligimus. Nihil itaque de his rebus affirmare aut tanquam certum assumere licet, quod non aut directe per experientiam constat, aut ex eadem per legitimam ratiocinationem deduci potest. Unde mirum non est, eos, qui seposita & neglecta experientia, aut ultra id quod eadem docet, sapere hic voluere, conjecturas tantum protulisse, & proprii ingenii figmentis defectus quam plurimos supplerere coactos fuisse. Quid? quod ne quidem a posteriori, licet multum studii in id posuerint Philosophi, ipsas rerum essentias & intimorem naturam eruere valuerint; quo obtento methodum illam §. præc. me-

memoratam imitari licet, & ex illis ipsis rerum conceptibus, sic quidem investigatis, explicare quæ circa eas contingunt & per illas effici possunt. Sed cum phœnomena sæpe nequidem eousque sufficient, ut de proximis caussis certum ferri queat judicium, tanto magis ad ultimas rationes ascendere, & intimam rerum naturam perscrutari, est supra vires humani ingenii positum.

§. V.

Si vero notitia illa sensuum ope acquisita & plenior & accuratior erit reddenda, atque ad altiorem scientiæ gradum evehenda, imo etiam ad usus humanos felicius applicanda, accedat oportet ratio eamque perficiat. Quamvis enim illa per sensus hausta cognitio maximi omnino sit pretii, neque laude sua fraudanda, quin ex adverso basin ac fundementum pleræque, imo certo respectu omnis, humanæ scientiæ constituat, (§. 3. & præc.) illa tamen ita nude spectata multis laborat defectibus. Primo videlicet sensus nostri ita sunt comparati, ut quando debito modo, quem exigit eorum conditio, objectis applicari non possunt, neque veram horum indolem ostendant, sed pro ratione circumstan- tiarum, eadem aliter, quam ipso actu se habent, nobis exhibeant, ut vel Optica abunde docet. Hinc qui sensuum repræsentationibus unice inhærent & acquiescent, eorumque judicio solo stant, non possunt non sæpe falli ac perverse multis in casibus judicare. Rationis vero est officium observata examinare, errores hosce corrigere, & quousque id fie-

ri potest, ex phœnomenis liquidam veritatem eruere. Neque, saltem permultarum rerum, distinctas ideas habere possumus, nisi rationis & sensuum coniuncto utamur ministerio. Sic e. g. qui machinam artificiosam distincte animo suo sistere cupit, is non modo singulas ejus partes sensibus attente contemplari debet, verum etiam mutuum illarum nexum, seu quo pacto inter se jungantur, atque ad totum compositum constituendum certumque finem omnes conspirent, non sine rationis ope simul rimari. Par modo, quam quæso mancus & imperfectus est ille conceptus, quem de hoc universo solis sensibus quis sibi formare potest? qui autem eo plenior ac sublimior evadit, quo, accedente rationis opera, diligentius scrutamur & penitus perspicimus stupendam hujus mundi vastitatem, partium illius singularum nexum admirandum ac pulcherrimum, usus quos una alteri præstat, finesque sapientissimos, in quos hoc vel illo modo constructæ & ordinatæ sunt. Et sic quidem discimus non tam abjecte variis de rebus sentire, ut solent illi, qui perfunditoria earum contemplatione contenti, & missa ulteriori rationis indagine, statim juxta id, quod primo intuitu ipsis videtur, judicant. Porro etiam constat quantum utilitatis habeat cognitio uniuersalis. Ut enim illa optima est discendi ratio, si multa paucis complecti possumus, ita hæc, de qua loquimur cognitio, compendiosa est, ad multa simul extenditur & ad plures casus applicari potest. Ex adverso aliquot tantum individua cognoscere haud multum prodest, per singu-

88 10 88

singula vero ire & quaslibet res seorsim perspectas sibi reddere, valde prolixus ac diffusus imo infinitus foret labor. Igitur ad cognitionem nostram amplificandam plurimum conducit, si ad notiones & principia generalia illa ipsa reducatur. Jam vero non nisi individua sensibus percipimus, unde omnis, quae sic immediate ab experientia enascitur, cognitio est tantum singularis. Est eadem quoque, propter multa & varia illa quae in rebus existentibus observantur, instar rudis & indigestæ molis, valde confusa & inordinata, nisi in ordinem redigatur, reflectendo super iis quae percepta sunt, abstrahendo, notiones & propositiones universales condendo. In his autem usus rationis est manifestus. Unde simul apparet, quod absque hac nulla veri nominis & propriæ sic dicta scientia dari possit. Talis namque scientia semper supponit notiones ac principia quædam generalia, quæ, ut modo diximus, rationis usum omnino requirunt. Hujus præterea beneficio omnis demonstratio absolvitur, ex cognitis veritatibus aliæ inveniuntur, caussæ investigantur, omniaque justo ordine & in systematicam formam disponuntur. Hæc denique perspicit, qualem influxum habeant veritates in necessitates vitæ humanæ, illasque in usus nostros convertere docet, facta naturæ & quæ inventa sunt ad operum artis incrementa transfert & applicat, sicque commoda generis humani insigniter promovet.

§. VI.

DE ratione hoc connubium ineundi quædam ad-

B

dimus,

dimus, quamvis nonnulla huc pertinentia partim
jam memorata, partim ex iis haud difficultia intel-
lectu sint. Ea vero præcipue de istis disciplinis di-
cta sunt, quæ res actu existentes pro objecto ha-
bent. Quousque autem in abstractis scientiis sensus
& experientia cum ratione concurrant, peti potest
ex §. 3. ubi ea de re jam monuimus. Hic itaque
ab experientia ordiendum erit (§. 4.). Non autem
sufficit ea solum notasse, quæ sponte nobis modo at-
tendentibus se offerunt; sed etiam experimenta ca-
pienda sunt de illis naturæ factis, quæ nostra opera
eliciuntur, atque aliquem instrumentorum appara-
tum variaque artificia requirunt, quo sic etiam ma-
gis abscondita naturæ nobis pandantur, & ad inte-
riora rerum aditus sensim aperiatur. Ubique autem
necessum est, ut summa accuratio & circumspectio
adhibeatur, diligent attentione omnes circumstantiæ,
& quæcunque se produnt phœnomena & mutationes
notentur, experientiæ etiam saepius circa diversa sub-
iecta & sub variatis circumstantiis iterandæ sunt,
& videndum, an similis maneat eventus, vel in
quantum hæ ipsæ eundem immutare valeant. Ca-
vendum quoque erit, ne quod vitium in experium-
do subrepat, neque propera & intempestiva judicia
experiendiis admisceantur. Facile igitur quisque vi-
det, quod ipsa etiam experientia, si rite instituenda
erit, rationis, tanquam necessarii cuiusdam instru-
menti, adminiculo carere nequeat, quodque hæc
moderamen ac directionem circa sensuum usum si-
bi vindicet. In aliis autem partibus adhuc magis ne-
ces-

** 101 **

cessitas ejus conspicitur. Illius namque est observata deinde pensitare, dijudicare & examinare. Hujus ope notiones universales & distinctas consequimur, si exclusis determinationibus particularibus, abstractione retineantur ea, quæ pluribus individuis communia sunt, atque omissis accidentalibus & mutabilibus rei, constantes illius affectiones junctim sumuntur. Quando ulterius ad ratiocinationem intellectus progreditur, non nimis audacter sed lente & caute procedendum est. Animus a præjudiciis vacuus esse debet, præcipitantia in concludendo evitari, precaria & incerta principia fundamenti loco non substerni, & certa cum iis quæ probabilitate tantum gaudent, minime confundi. Hoc rursus in negotio experientia & ratio multiplicem usum sibi mutuo præstant. Illa enim principia huic superpediat certa & immota, quibus ratiocinia sua superstruere debet, & ex quibus, tanquam præmissis, veritates incognitas eruit, cauſasque rerum ac phœnomenorum rimatur. Eadem quoque ſæpe inservit examinandis & confirmandis iis, ad quæ per ratiocinationem perventum fuit. Ut si rationis ductu in dogma aliquod inciderimus, de cuius veritate nondum certo nobis constat, illud ulteriore subministrat occasionem explorandi, quid experientia hac in re nos docere queat, & ad ea observanda attentionem nostram deducit, quæ alioquin cogitationem nostram non subiiffent. Hoc modo experientia novis inventis augetur, quæ si vicissim conferantur cum assumpta hypothefi, ut appareat, utrum cum illa con-

sentiant vel minus, etiam ipsa veritas comprobata nobis reddetur, aut saltem proprius ad eam pervenire licebit. Sicut autem parum in his disciplinis proficitur, nisi ex phœnomenis singularibus, affida & adcurata experientia collectis & inter se collatis, per inductionem leges ac regulæ quædam constantes & generalia principia eruantur, ita hæc ipsa rite stabilita maximi sunt usus. Etenim illa faciem ubique præferunt, suntque normæ instar, ad quam revocari & exigi debent quæ in quæstionem veniunt. Eadem adhiberi possunt ad phœnomena varia explicanda & rationes rerum reddendas. Plurimum deinde conduceit, quoties objecti natura id patitur, Mathesin quoque in subsidium vocare. Cum enim non modo ipsa corpora sua magnitudine gaudeant, sed etiam eorum, æque ac rerum omnium finitrum, qualitatibus viribus & effectibus determinatus aliquis gradus & certa quantitas competat, quam nosse sæpe multum refert; si hanc definire valeamus, multo utique perfectior evadit nostra cognitio. Matheleos etiam ope sæpe omnimeđam certitudinem consequi possumus. Quodsi enim vires causarum & quantitatem effectuum metiri sciamus, comparatione instituta constabit, utrum illæ his proportionatae sint vel minus, atque sic evidenter demonstrari potest, an hæc vel illa causa dato effectui producendo sufficiat nec ne. Imo si ita rerum omnium vires nobis essent perspectæ, etiam in nostra foret potestate illis ubique convenienti modo uti, & ad promovenda vita nostræ commoda optimo cum suc-

successu eas applicare, unde utilissima quævis huma-
no generi inventa enascerentur.

S. VII.

Quam late pateat usus istius connubii, quo ra-
tio & experientia invicem junguntur, paucis
adhus videbimus. Et quidem quod ad abstractas
scientias attinet, ad superiora lectorem remittimus.
In reliquis autem scientiæ humanæ partibus hoc con-
nubium potissimum se exserit & utramque facit pa-
ginam. Mentis nostræ cognitio per internam experi-
entiam acquiritur. Ex iis nempe quæ anima, atten-
tione ad seipsum conversa, & proprios suos actus,
variasque illas mutationes, quæ in ipsa eveniunt,
intuens, in semetipsa experitur, perspectæ nobis red-
duntur vires & facultates ejus, atque leges quas in
operationibus suis sequitur. Sicut vero hæc distin-
cte cognosci absque rationis ope non possunt, ita
imprimis hujus beneficio alia etiam magni momen-
ti ad animam spectantia investigantur, utpote simplex
ac spiritualis ejus natura, ipsaque ejus immortalitas.
Ad Theologiam Naturalem ut faciamus trans-
itum: quia mortalibus, saltem per naturam, datum
non est, sensu illo immediate Deum percipere, vel
exinde statim patet, absque ratiocinatione nullam Ejus
notitiam comparari posse. Quantum vero juxta mo-
menti hic habeat experientia, ex eo facile intelligi-
tur, quod invisibilem suam naturam in operibus suis
manifestaverit Deus. Ex his tanquam effectibus caus-
am eorum & auctorem cognoscimus, ex rerum
creatarum contemplatione ad ipsum Creatorem ascen-
dimus.

dimus. Singula enim in hoc universo obvia totidem sunt specula, quæ summas & infinitas Ejus perfectiones clarissime nobis repræsentant & quasi oculis spectandas exhibent. Et quo diligentius res naturales, earumque admirandam structuram, dispositionem, nexus, usus & fines scrutamur, eo etiam magis in cognitione Summi Numinis proficimus, eo sublimior penes nosmet exsurgit idea attributorum Divinorum, eoque fortius tanquam evidentissimis documentis de his convincimur. Ut de eo nil dicam, quod notiones attributorum Dei, tanquam spiritus perfectissimi, nullas obtainere queamus, nisi ex notionibus eorum quæ animæ nostræ insunt, per internam conscientiam haustis, sed per rationem deinde plenius determinatis, eadem deriventur. Quatenus Physica occupatur in consideratione corporum in organa nostra sensoria agentium, experientia hic ante omnia opus esse apparet. Si vero scientiæ nomen jure tueri debet, atque phœnomena explicare, rationes eorum investigare, & quomodo effectus a suis caussis dependeant demonstrare, rationem quoque suum officium peragere oportet. Sed cum ex superioribus hæc jam satis elucescant, id tantum dixisse sufficiat, quod postquam huic viæ insistere cœpere mortales, nempe assidue experimentis incumbere, ex his rite philosophari, Mathematica studia excolere & ad naturam recte applicare, hæc scientia maxima cuperit incrementa, a plurimis erroribus purgata, præclaris inventis aucta, & in multis insignem lucem jam consecuta sit. Imprimis etiam Astronomia propositum

tum nostrum confirmat. Quod enim hæc ad id fastigium, in quo jam conspicitur, sit evecta, quod phœnomena tam accurate determinari possint, quod rationes eorum tam expedite reddi, quod eventus calculis adeo exacte respondeant, quod multa hic nova detecta sint, felicissimo huic rationis & experientiæ connubio acceptum referimus. Hujus namque scientiæ cultores observationibus adcuratissimis indefessi student, ex his conclusiones dedicunt & theoriam condunt, quam per observationes denuo comprobant, omnia numeris & calculis metiuntur. In his autem suis laboribus eximum ipsis usum præstant instrumenta arte inventa & adcurate fabricata, & cum primis telescopia, quorum faustissima inventio novam plane Astronomiæ dedit faciem. Sic etiam cum aliæ Physicæ partes quædam, tum artes nonnullæ, quæ ad mathesin applicatam referuntur, & insignem perfectionem adquisiverunt, illustria præbent exempla, quantum momenti habeat methodus hæc experimentalis & mathematica. Ipsa Historia Naturalis, quamvis videri posset quasi tota experientiæ debeat, rationis tamen ope carere nequit. Hæc enim, nisi omnia hic sparsa vaga & inconstantia erunt, res naturales sub fixis ac determinatis notionibus generalibus complecti & ad certas classes revocare debet. Medicina etiam ab experientiæ & ratione tota pendet. Ut namque sciat medicus quæ sanitati conducant & officiant, caussas morborum detegere, regulas conservandæ sanitatis & remedia morborum præscribere; oportet illum hist-

historiæ & scientiæ naturalis cognitione instructum esse, corporis humani & singularum ejus partium structuram & functiones nosse, vires ac proprietates rerum naturalium exploratas habere, atque rationis acie pollere. **Juris Naturalis** præcepta per lumen rectæ rationis cognoscuntur, habet autem experientia ibi quoque eximum usum. Per hanc etenim non raro docemur, quænam actiones veræ nostræ perfectioni promovendæ inserviant, quæ ex adverso eidem repugnant. Ad illas committendas has vero fugiendas obligamur. Unde discimus quæ facienda quæque omittenda sunt. Et quoniam liberas nostras actiones determinare debemus finibus Divinis convenienter, qui vero ex consideratione naturæ nostræ & aliarum rerum intelliguntur; patet inde erui posse regulas, juxta quas actiones liberæ, quæ vel nos ipsos, vel usum aliarum rerum respiciunt, institui debent, ut sint finibus Divinis, ipsi naturæ, & nostræ perfectioni conformes. Sicut Philosophia moralis subiectum rationis capax ubique supponit, ita quoque experientia multum in eam habet influxum. Hæc enim scientia tradere debet media, quibus habitus acquiratur legi nat. convenienter vivendi, & voluntas determinetur ad bonum eligendum & malum fugiendum. Ad hoc vero necessaria imprimis est penitior animæ cognitio ab experientia petenda. Quomodo enim voluntas flecti, animus virtute imbuiri, vitia ejus emendari, affectus regi poterunt, nisi perspectæ fuerint natura & facultates animæ, hancunque nexus, dependentia a se invicem & operandi leges

leges? Præterea ad officia Deo præstanta eo fortius
incitamur, quo vividiorem habemus cognitionem
perfectionum Ejus. Ad hoc vero quantum condu-
cat experientia, paulo ante vidimus. Ut taceamus
quantum valeant exempla ab experientia petita ad
animum a vitiis avocandum & studium virtutis ex-
citandum. Quod ad Oeconomiam itidem spectent
quæ de aliis scientiis inculcavimus, vel ex eo judi-
cari potest, quod aliis disciplinis ab experientia &
ratione enatis innitatur, utpote Historiæ Naturali
Physicæ & Mathesi. Ex his principiis, cœi solidis
fundamentis, & certius & fructuosius in modum
scientiæ tractari potest Oeconomia. Qui vero non
nisi rudi & mere historica illius cognitione gaudet,
sæpe in ejus applicatione aberrat, rationibus & causis
ignoratis. Prudentia omnis cum politica tum
qua privata vitæ negotia administrantur, multiplici
& diuturna rerum experientia, vel propria vel aliun-
de collecta, comparatur. Juxta vero ad prudentiæ
règulas eruendas & in casu speciali applicandas, ju-
dicio opus est, rerumque nexum & causas perspic-
endi facilitate. Artes denique omnes experientiam
matrem agnoscunt, & a ratione per gradus excul-
tæ sunt, idque eo feliciori cum successu, quo ma-
gis auxiliatrices manus scientiæ ipsis admoverunt.

§. VIII.

Apparet ex his, nexu inter rationem & experi-
entiam divulso, vix quicquam certi & solidi, in
plerisque saltem cognitionis humanæ partibus, obti-
neri posse. Sicut nimirum experientia rationis sub-

fido destituta valde est imperfecta, ita experientiae neglectum abutus rationis sequitur. Ubi enim illam deseruere mortales, spuria sciendi libidine ducti, fictionibus indulserunt, & partim meras hypotheses excogitarunt, partim meritis terminis, vocibus sine mente, & abstractis notionib[us], quarum realitas nec per experientiam constat, nec illa intelligentia concipi potest, omnia expedire voluerunt, hisque ineptiis suam inscitiam tegere fategerunt. Ex isto fonte tot errores, fabulae & ludicra commenta, tot opinionum monstrata, tot superstitione & impia dogmata exorta sunt, verbo: infinita mala in scientias invecta. Gratulamur autem nostro ævo, quod illæ ex his tenebris & incommodis, quibus pressæ fuere, eluctari cœperint, ex quo earum cultores, utriusque hujus toties laudati cognoscendi principii ope & conjuncta opera, emendationem earum multo studio neque infelici conatu aggressi sunt.

Cæterum pauca hæc tumultuario & interrupto labore exarata, licet, quod lubentes fatemur, voto neque Tuo neque nostro neque argumenti dignitati respondeant, favori Tuo c. l. commendamus.

